


erg
7
96



743

1928 K 944

L 7, 12

RECTOR

ACADEMIAE VITEBERGENSIS

CHRISTIANVS GOTTLIEB
HOMMELIUS

IVR. VTR. DOCTOR. DIGEST. INFORT. ET NOV. PROF. PVBL. OR.
DINARIYS CVRIAEC PROVINC. ELECT. SCABINAT. ET FACVLT.
IVRID. VITEMBERG. ASSESSOR

ORATIONEM

A

FRIDERICO GVILIELMO LAVTSCH

IESSENA SAXONE

IVRIS CVTORE

BENEFICII MARESCHALLIANI LEGE

FVTVRO MERCVRII DIE

H. L. Q. C.

RECITANDAM

CIVIVM ACADEMICORVM

FREQVENTIAE

COMMENDAT.

1795

DE PARTIVM IN REPVBICA ROMANA CONVENTICVLIS.

Commentatio VII.

Qui plebem Romanam, ejusque defensores tribunos, in certaminibus de ordinum et iuris aequalitate institutis, id agitasse existimant, vt locupletiores de possessionum, bonorumque suorum copia tantum cederent inopi multitudini, vt hac ratione ciuium omnium fortunae aequarentur, profecto non minus falluntur, quam illi Neofrancorum, qui, siue ignorantia obcoecati, siue impudentia, qua rebus suis desperatis aliorum opibus, fauro modo ad se rapiendis, consultum iuerunt; hoc esse tentatum contenderunt, vt, omni ordinum discrimine sublato, nemo praestaret ceteris, qui que exemplum Romanorum aliis mortalibus imitandum

dum atque in nouitia republica sua exprimen-
dum commendarunt. Sicut enim illud in agra-
riis legibus promulgandis minime fuit specta-
tum; ita nec hoc in contentionebus de aequan-
do ciuium Romanorum iure ylli ymquam venit
in mentem. Quarum tamen opinionum vanitas
cum a nemine satis perspici possit, nisi ex rerum
Romanarum monumentis consignatis omnia
succurrerint animo, quibus ordinis in republica
Romana potioris praestantia fuerit effecta: non
alienum esse a scopo nostro duximus, singula
huius rei momenta paucis lectorum in recor-
dationem reuocare, idque eo quoque nomine,
ut tanto planius cognoscantur causae, quibus
moti tribuni consilia sua, ordini suo non in va-
nis ponenda, antequam publice disceptanda
proponerent, in secretis coetuum consultatio-
nibus praemeditanda et praeparanda censem-
tent. Iam primum plebeii homines, a faece po-
puli, proletarii videlicet, et capite censis, de
quibus vero non loquimur, vel re familiari iam
discreti, plena quidem libertate, plenoque ci-
uitatis iure frui dicebantur, re ipsa tamen, pa-
trum iura longe excellentiora si comparaveris,
multa desiderabant eorum, quibus verus civis
Romani status solebat absolui. Ab ipso enim
Romulo ius gentilitatis iam erat introductum,
regi-

regibus vero electis a consulibus et senatu bene seruatum, quo patriciis solis via ad summos in republica honores, cum ciuiles, tum sacros, ideoque ad parandas diuitias patuit, sicut iisdem etiam solis auspiciorum habendorum ius competiit. Hinc patricii, non prorsus immerito, gloriari solebant, se tantum habere gentes ac dignitatem, qua voce omnino iuris sui eminentioris ambitum complecti solebant, plebeios familiis modo inter se discerni, quippe quibus ad tantum honorum fastigium adspirare liceret numquam, vel aditu ad dignitatem senatoriam ipsis paecluso. Etsi igitur tanta patricii ordinis praestantia plebeiorum animos inuidia tactos diu iam male habuit, et tribuni, vel ante leges XII. tabularum latae, haud raro iactarunt voces, rempublicam haud quaquam esse liberam, in qua non obtineret iuris ciuium omnium aequalitas, nihilque esse ipsi conuenientius ac salutarius, quam aequum ius publicis in negotiis agendi: (Dion. Halicarn. x, 627.) tamen haec res nondum in publicam venisset disceptationem, nisi variis principum iniuriis plebs ac tribuni fuissent exacerbati, totque artibus subdolis iusta eorum desideria elusa. Factum hoc imprimis legibus agrariis optimatum fraudibus toties antiquatis, et contentionibus de his

his per longum temporis spatium extractis.
Opum enim suarum tum servandarum tum au-
gendarum cupiditate tantopere hi flagrarunt, vt
ne particulam quidem earum concederent, par-
uaeque iacturae omnibus viribus resistere mal-
lent, quam prudentiori consilio, in tempore
capto, aliis malis et detrimentis occurrere mul-
to maioribus, iamque imminentibus, quae etiam
praeuideri facile poterant. Nec reputarunt, ple-
bem, quo magis vrgeatur miseriis, et a poten-
tioribus vexetur, eo tumultuosiores esse, eo-
que plura concupiscere, contra ea, tanto tran-
quilliorem, quanto plures habeat causas, quod
forte sua et conditione viuat contenta. Noua
querelarum causa, eaque non iniqua, legibus de-
cemuinalibus ipsi praebebatur. Harum enim
una, qua connubia patrum cum plebeis, an-
tea licita atque arbitraria, tollebantur, ipsa ple-
bis libertas imminuebatur, toto etiam ordine
eius despecto, idque pessimo fortasse consilio,
nisi vana est Dionysii opinio. Hic enim (l. x.
fin.) factum hoc esse autumat forte ne le-
gibus istis latis concordia coalesceret ordi-
num. Accessit postea alia adhuc optimatum
fraus, ad leges agrarias non minus, quam alias
impediendas, excogitata et composita. Cum
enim tribunis singulis vis esset collegarum ro-
gati-

gationibus intercedendi: patres hoc non negligendum rati, semper aliquot huius collegii homines praemiis et pollicitationibus callide corruptos et comparatos habuerunt, qui leges a ceteris collegis promulgatas, quas rebus suis non fauere videbant, hoc subsidio irritas facerent, ipsamque potestatem tribunitiam suis ipsius telis ac viribus impugnarent ac debilitarent. Tristi igitur experientia crebro est intellectum, plebeio homine in republica Romana nihil esse miserius, nihil magis obnoxium potentium libidini, optimatumque superbiae, quod non minus in comitiis, quam in iudiciis apparebat. In illis enim ipsi plebis tutores auro ac promissis redemti a nobilitate et magistribus, causam suorum deserere ac prodere non raro solebant; in his vero pari modo patres regnabant soli, & plebeii, cum potentiore aliquo litigantes, causa sua vel iustissima facile cadebant. Fieri igitur non poterat, quin tribuni, salutis plebeiorum serio amantes et studiosi, tantis indignitatibus exacerbati, meditarentur, quomodo eas ulciscendo a suis propulsare possent, veriti etiam, ne, si diutius principum libidine ac licentiam perferrent, doloremque supprimerent, audentior facta nobilitas mala malis cumularet, imo peiora adhuc machi-

chinaretur. Quamobrem consilium ceperunt, non tantum ius connubiorum extorquendi patriciis, verum etiam honorum, idque hanc potissimum ob causam, ut, cum tribunorum multi operam suam, pretio venalem, perfide addicerent patribus, horumque intercessione interposita, ceteri collegae nihil proficerent aduersus senatus et principum impotentiam, alio auxilio se tutari posset ordo plebeius, summis in re publica magistratibus e suis hominibus creatis. Vtramque rem C. Canuleius primus tentauit in tribunatu suo, qui cum collegis non modo ad populum tulit, *legem de interdicto patriciorum plebeiorumque connubio esse abrogandam*, sed aliam etiam promulgauit rogationem, *ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de patribus vellet, consules faciendi* (Liv. IV, 1.) Quanti animorum motus in patriciorum ordine rogationibus hisce sint orti, coniicere facile possis e consulm vociferatione in senatu, quas audisse praestaret, quam legere. Liuio enim teste (IV, 2.) praeter alia, clamarunt: *Canuleium colluisionem gentium, perturbationem auspiciorum publicorum priuatorumque afferre; ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit: ut discrimine omni sublatu, nec se quisquam, nec suos nouerit. Quamenim aliam vim connubia promiscua habere, nisi, ut ferarum*

rum ritu vulgentur concubitus plebis patrumque. — Parum
id videri, quod omnia diuina humanaque turbentur: iam
ad consulatum vulgi turbatores accingi; et primo, ut alter
consul ex plebe fieret, id modo sermonibus tentasse. Nunc
rogari, ut seu ex patribus, seu ex plebe velit, populus con-
sules creet: et creaturos haud dubie seditionissimum quenque.
Post diurnas et vehementissimas altercationes tandem ita con-
uenit, vt, connubium mutuum permitteretur, consules autem
nec plebeii nec patricii, sed tribuni militum consulari potesta-
te, iidemque et patricii et plebeii sequentem in annum de-
signarentur. Has autem concertationes sine clandestinis con-
ventionalis non esse compositas, iam in promtu poneretur, si
fines huius scriptionis id permitterent. Quare haec in posterum.

Obtemperandum enim est mori, paeconisque persona
adhuc agenda, licet orator noster paeconio nullo egeat.
Nostis enim, Commilitones, Virum Nobilissimum ac Doctissi-
mum Fridericum Guilielmum LAVTSCH, indefessum iuris
cultorem, et quantum scimus, amatis eum omnes, cum
propter mores compositos et politos, quibus indoctis etiam est
commendabilis, tum propter accuratam etiam doctrinam, hu-
manitatis quoque studiis excultam. Hanc etiam oratione decla-
ravit, qua beati Mare schalli in tot alias pariter, ac in se simul
ipsum praedicabit munificentiam, numquam facile tot testium
memoria intermorituram. Argumentum autem sibi forte fortu-
na legit, quo illi, quod hic tractauimus, nihil possit esse conue-
nientius. Disceptabit enim quaestiones, utrum et quatenus ea,
quae in iure naturae statuitur, aequalitas hominum, ciuitati
accommodari possit. Frequenter igitur aditis, nec spem de
Vesta erga oratorem nostrum humanitate conceptam fallatis,
togamus.

P. P. Dom. XIV. post Fest. Trin. cccclxxxv.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96
vol 18

ULB Halle
004 335 651

3



f

86.

W
E
17



RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
CHRISTIANVS GOTTLIEB
HOMMELIUS

IVR. VTR. DOCTOR. DIGEST. INFORT. ET NOV. PROF. PUBL. OR.
DINARIYS CVRIAEC PROVINC. ELECT. SCABINAT. ET FACVLT.
IVRID. VITEMBERG. ASSESSOR

ORATIONEM

FRIDERICO GUILIELMO LAVTSCH
IESSENA SAXONE
IVRIS CVTORE

BENEFICII MARESCHALLIANI LEGE

FVTVRO MERCVRII DIE

H. L. Q. C.

RECITANDAM

CIVIVM ACADEMICORVM
FREQVENTIAE
COMMENDAT.